S. D. V/46. ~~107~~

Etsi doctissime Vadiane mihi familiaritatis usus tecum nullus
sit, tamen facere non potui, quin ad te scriberem. Idque dupli-
ci de causa. Primum quidem quod fratri tuo Davidi affinitate
iam pridem essem coniunctissimus. Deinde quod non solum
iam olim puer tuas lucubrationes legissem, quae tibi in universa
quidem Europa immortalem et sempiternam laudem pe-
pererunt, unde semper ita existimavi, te tantam doctrinae
varietatem summa cum humanitate coniunxisse. Verumetiam
quod ex fratre tuo, et aliis omnibus, quibus adeo tecum notitia
est, intelligerem tanto candore te et eruditione praeditum, qua
quidem tua scripta facile arguunt, et erga literarum studiosos
praecipue favore flagrare, ut facile cuilibet aditus ad te libe-
rrime pateat. Hac igitur summa humanitate, et fratris ami-
citia fretus ineleganteis meas [+ literas] ad te dare non dubitavi. Con-
fido autem maxime, me id apud te facile consequuturum
quod volo. Ad Ioannem Travesium virum in nostra pat-
ria maximae authoritatis tractatum accommodavi, quod pro
conditione rei commodum fore putavi, id si exierit in
manus doctorum, apud eum gratiosus sum futurus, cuius
authoritas mihi magno emolumento esse poterit. Quare
Vadiane doctissime te etiam atque etiam oro idque pro
amicitiam quae mihi cum fratre tuo est, ut hoc carmen
ad perfectum unguem emendes perlustresque, ac typographis
commendes, curesque ut brevi, quod commode fieri poterit
in publicum emittatur, quo facto spero stipendium quod
exiguum habeo, et rem familiarem aegre sustento, auctum iri.
Hoc si feceris summum in me contuleris beneficium.
Vale et me tibi commendatum habe. Carmen una cum literis
tibi mitto. Datum Cur. VII. calend. Augusti Ann. Dom. M.D.XLI

tibi deditus maxime

S. Lemnius Rhetus.

Clarissimo domino Ioachimo
Vadiano Helvetio patrono
et mecoenati suo.

Zu Sannd Gallen

S. Lemnius Rhetus.